

fignum igni admoverit, occasionalis combustionis causa vocabitur, atque ignis proximitas dicitur *conditio sine qua non*. Neque prætermittendæ sunt causæ illæ, quæ non physice vereque effectum virtute sua producant, sed *moraliter* solum, ideoque *morales* causæ vocantur. Ita qui homicidium imperat aut consulit, moralis homicidii causa vocabitur; unde si leges ipsæ morumque regulæ spectentur, eadem profus in hoc imperio consilioque gravitas reperitur ac si vere physiceque hominem perimeret. Verum morales causæ, quæ ejusmodi ratione effectum producant, cognitione & libertate præditæ esse debent; alioqui si necessariæ illæ forent, neque morales causæ vocari, neque actus ille morali bonitate vel pravitate donari posset. *Libere* autem causæ dicuntur illæ, quæ ita operantur, ut etiam non operari possint, possuntque omnibus, quæ ad effectum ipsum producendum necessaria sunt, adhuc indifferentes sint ut effectum ipsum producant, si-ve ab illo deflectant; atque ubi libere consultoque actum ipsum inceperint, illum aberrumpere & in oppositum actum sese convertere possint. *Necessariæ* vero causæ vocantur illæ, quæ ita operantur, actumque suum producant, ut ab illo abstinere aliterque operari non possint; sic ignis necessario calorem producit. Sed hæc breviter tantum attingimus, accurate enim ostenduntur ubi de humana voluntate, ejusque libero arbitrio differendum erit.

VI. In æstimandis effectibus physicis receptum vulgo est principium: *Effectus suis*